

que stratiotarum, & in gratiam cum Musis suis mansuetioribus redeuntem, quarum famulatu & consilia in agendo commissis inspectioni suæ, & responsa in dubiis Diæcesanarum disputationum aleis commodabat. Celari hæc non magis poterant ac igniculus natura sua sursum enitens, ut suspensi hærerent, queis nota viri virtus, quorsum tam præclaræ minæ evasuræ essent. Commissus quidem est cum iis ab Ill. Consistorio, qui periclitabantur coram Ser. mo suum concionanditalentum, sed debebatur noster divina destinatione TUBINGÆ, pastorale pedum cum Profess. Theologica connexum ante septennium, imò triennio post Doctorali adoreq; innexum, Sereniss. decreto offerenti, modò obtigisset adhuc vegetiori vocatio. At DEMMELE-
RUM Episcopum sine uxore, œconomum DEI sine privata Oeconomia non circumducemus. Conjugii prima vota dedit *ANNAE MARGARETHAE CELLARIAE*:
Secunda *SYSANNAE SCHROETLINIAE*: Tertia *MARIAE LOETHINIAE*, isti virgini amabili perquam, his matronis proprio coruscantibus elogio, ex prima harum octo liberorum pater factus est, superstite filio non nisi uno, cui provideat Dominus in monte! Filia matri *ἐμάρτυρος* nuptum data præclariss. Collegæ nostro D. CHRISTOPHORO CALDENBACHIO fuit, sed brevior ea felicitas erat, quam vel optassemus, vel voluisset virorum optimus. Omnes vitæ suæ Consortes individuas, fortunæ comites utriusque, morigeras, fidas, sollicitas expertus est, quæ crebrius ægrescenti marito assidendo, fovendo solandoq; nulla non sinceri affectus munia sunt contestatæ. Quam eloquens in suggesto steterit præco, quam accuratus in Cathedra Doctor, quam gravis in Consilio

B

Acad.